

7+8/81

KALENDIS AVGVSTIS

MCMLXXXI

VARIVS
TOR VARIVS I
VMOR VARIVS F
RVMOR VARIVS F

RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS
TOR VARIVS
VARIVS

PRÆFATIO

Ulricus Aeschlimann omnibus amicis s.d.p!

Nuper aliqui Rumoris Varii amicus me interrogavit, cur in nostro libello raro fabulae publicarentur, quae non modo facile essent translata in sermonem Germanorum, sed etiam - cum inter lectores essent nonnulli linguae Latinae parum periti - brevi tempore perlegendae.

Ubi recentes libellos inquisivi, inveni hanc quaestionem ab illo amico recte factam esse: Profecto adhuc partes Rumore Vario divulgatae sunt, quae singulae duas aut tres paginas libelli tegunt. Fabulas autem generis eius, quae nostra lingua "Kurzgeschichten", Britannorum lingua "short stories" appellantur, raras tantum inveni. Quam ob rem hodie vobis, cari amici, tria exempla proponam, quae demonstrent, quomodo vos ipsi fabulas breves Rumore Vario publicandas scribere possitis:

Post hanc praefationem si legere pergetis, invenietis tres narratiunculas brevissimas, quibus legendis animus vester delectabitur.

Maxime autem laetarer, si nobis tales narratiunculas breves mitteretis! Sunt enim haec conata maxime commoda omnibus, qui tempus otiosum sibi brevius reddere desiderant, sive aliquod iter faciant sive in angustum veniant, quid sibi sit agendum, dum

feriae aestivae manent.

Felices dies feriales omnibus! Curate, ut valeatis!

Ulricus Aeschlimann



Tres narratiunculae breves

Olim puerulus medicinam medicamentorum (1) intravit. Venditor eum interrogavit: "Quid emere tibi libet, mi puer?" Tum puer: "Pulverem ad vermes necandas adhibendam emere velim." - "Velisne pulverem adultis consumendum?" - "Nescio" respondit puer "qua aetate vermes sint."

(1) medicina medicamentorum Apotheke

* * * * *

Carolus amico "Mehercule, magno constabit", inquit, "nam medicus sororem meam cottidie visitat." - "Heu miseram!" respondit amicus et "Graviterne soror tua aegrotat?" Tum Carolus: "Non aegra, sed pulcherrima est!"

* * * * *

Agricola, cui anser furto subductum erat, parochum vici oravit, ut se adjuvaret, ut anserem quam celerrime reperiret. Pastor se agricolam adjuvaturum pollicitus die dominico (1) subsequente in aede sacra (2) pulpitum ascendit, conventum piorum hominum considerare iussit. Ubi cuncti consederunt, interrogavit: "Cur non considitis?" - "Iam sedemus!" omnes responderunt. "Non cuncti sedent," exclamavit pastor, "video enim illum adhuc stare, qui anserem furatus est." Statim unus e conventu reclamavit: "Non est verum, quod dicis. Et ego iam sedeo!"

(1) dies dominicus Sonntag

(2) aedes sacra Kirche

Ulricus Aeschlimann



Werner Bergengruen

Totenklage um Samogonski

Brüder, Samogonski ist gestorben!
Ewige Ruhe seiner starken Seele!
Unablässig soll sein Nachruhm dauern.

Welcher Ruhm? Er brannte, brannte Branntwein,
brannte Branntwein, wie kein anderer brannte,
und sein Branntwein brannte wie kein anderer.

Nicht an Krankheit starb er, nicht an Alter
Weil die Trübsal in der Welt sich mehrte,
hat der Gott der Bäume und der Trinker
und der Bienen ihn davongenommen.

Liebreich mög er uns vor Augen bleiben:
warzig, harzig, knollig wie ein Wildbaum,
bäritg, borstig, bräunlich, rotgesichtig.

Tief im Wald versteckt lag seine Hütte,
niemals fand sie einer der Verfluchten,
niemals ein Beamter der Akzise,
niemals einer von den Landgendarmen,
nie auch eins von jenen Frauenzimmern,
den gehässigen Helfershelferinnen,
den denunziationsbereiten
Vorstandsdamen vom Zentralvereine
gegen Missbrauch geistiger Getränke.

Ach, er brannte Branntwein wie kein anderer!
Einstmals, so gedenk ich, sind drei Tropfen,
drei verschüttete, hinabgefallen.

Latine reddidit

Rochus Habitzky

Fratres, Samogonski vita functus!
Forti animae sit semper quies!
Ne post mortem fama eius cesset!

Quaenam fama? Ussit, ussit vinum,
ussit vinum sicut nemo ussit,
fortius hoc vino nihil ussit.

Neque morbo fractum ne aetate
augescentibus aerumnis mundi
deus arborum et potatorum
apiumque deus asportavit.

Comis ante oculos persistat:
verrucosus, tuberosus, fuscus,
caput rufum barba cum saetosa.

Cuius abditam in silvis casam
numquam novit ullus exsecrandus,
numquam novit ullus portitorum,
numquam ullus rusticus aedilis,
nulla etiam anicularum
odiosa coauxiliatrix
ad delationem paratarum
praesidium centralis unionis
insectantis fervida bibentes.

Vinum ussit, oh, ut nemo ussit!
Quondam, memini, tres ceciderunt,
guttulae tres, quia sunt profusae.

Kam die Maus und schleckte einen Tropfen.
Herrlich hat sie sich emporgerichtet.
Alle Schläfer hörten ihre Stimme.
"Katze, Katze", rief sie, "sprich, wo bist du?
Katze, komm hervor! Wir wollen kämpfen!"
Doch die Katze kam nicht. Sie auch hatte
einen Tropfen aufgeleckt vom Boden.
Augenblicklich war sie ausgezogen,
nach dem Löwen, dem Gepard zu suchen.

Ungesogen blieb der dritte Tropfen.
Durch den Teppich, durch die Dielenbretter
frass er höhrend sich die Feuerstrasse,
zischte abwärts durch die Grundgewässer,
unvermischlich, unverlöschlich fuhr er
durch den Lehm und der Gesteine Schichtung
immer tiefer. Und wir knieten nieder,
pressten unsre Augen an die Oeffnung,
spähten bebend durch die schmale Röhre:
In der Mitte der geschaffnen Dinge
sahn wir rot das Herz der Erde schlagen.



Venit mus et linxit guttam unam.
Post hoc se egregie erexit.
Vocem dormientes audierunt:
"Felis", exclamavit, "ubi sedes?
Felis, veni foras, pugillemur!"
Neque venit felis propter guttam,
quam et ipsa lambit de paumento.
Ilico profecta quaesitura
est leonem atque leopardum.

Gutta tertia inlincta mansit.
Per tapete, pavimenti axes
igneam erosit viam cavam,
sibilans per aquas subterrenas
impermixta, inexstincta lapsa
est per lutum, tabulata saxi
in profunda. Genua flectentes
oculis foramini admotis
tubum per angustum speculantes:
mediis creatis rubicundum
cor telluris vidimus pulsare.



Frage und Antwort

"Der die Welt erfuhr,
faltig und ergraut,
Narb an Narbenspur
auf gefurchter Haut,

"Saeculum experte,
cicatricibus
cutem persulcate
cane crinibus,

den die Not gehetzt,
den der Dämon trieb -
sage, was zuletzt
dir verblieb."


quem discrimen pressit,
daemon quem trusit -
quae postremo tibi
manserint, mi dic."

"Was aus Schmerzen kam,
war Vorübergang.
Und mein Ohr vernahm
nichts als Lobgesang."

"Quod dolore venit,
erat transitus.
Auris nil percepit
hymni ni melos."

Latine reddidit

Rochus Habitzy



S O L V T I O N E S

=====

De solutionibus nobis missis sortes coniecimus.
Ecce illi, qui primum, secundum, tertium prae-
mium accipient:

primum praemium:

Sabine Szidat
Sonnenrainstr. 11
4533 Riedholz

secundum praemium:

Max Müller-De Vries
Zürcherstr. 10
4143 Dornach

tertium praemium:

Bernhard Christen
Solothurnstr. 21
3322 Schönbühl

E	V	A	S	U	M
V	E	N	E	R	E
A	N	D	R	E	A
S	E	R	U	N	T
U	R	E	N	T	I
M	E	A	T	I	S



Aenigma

QVO PRAEMIUM ACCIPI POTEST ! QVODQVE AENIGMA
RECTE SOLVTVM ET RVMORI VARIO MISSVM AD SOR-
TEM REVOCABITVR ! DIES VLTIMA KALENDIS SEP-
TEMBRIBVS MCMLXXXI EST !

PRAEMIA SVNT : primum praemium : LIBER
secundum praemium : LIBELLVS
tertium praemium : LIBELLVS



1. osculor / vel:
quorum numerus in quinto Catulli
carmine maximus est (dat.sg.)
2. demens
3. quod agricola facit (3.pers.sg.perf.)
4. inmitti
5. Portus Romae

1	2	3	4	5
2				
3				
4				
5				

Hoc aenigma composuit Daniel Weissmann.

Die Schildkröte

Christian Morgenstern (1871 - 1914)

Ich bin nun tausend Jahre alt
Und werde täglich älter,
Der Gotenkönig Theobald
Erzog mich im Behälter.

Seitdem ist mancherlei gescheh'n,
Doch weiss ich nichts davon,
Zur Zeit, da lässt für Geld mich seh'n
Ein Kaufmann zu Heilbronn.

Ich kenne nicht des Todes Bild
Und nicht des Sterbens Nöte:
Ich bin die Schild-, ich bin die Schild-,
Ich bin die Schild- krö- kröte.



Testudo

Christianus Stella Matutina

Iam mille mi annorum nunc,
In senem mox me vario,
Gothonum rex Thibaldus tunc
Me aluit in vivario.

De gestis factis interdum
Nil scio, mi creator!
Pecuniae causa monstrat num
Heilbronnae me mercator.

Nec ipsa mors mi nota est,
Nec mortis anxitudo:
Sum test-, sum test-, sum test-, sum test-,
Sum test-, testu-, testudo!

Latine reddidit

Amicus



DE TEMPORIBVS LONGE REMOTIS

narrationis pars tertia

Turici ferias agens octo annos natus aliquando ab amita veniam petivi foras eundi paululum urbis visendae. Veniā datā, laeto animo statim ad plateam descendi ibique tramviam electricam escendi stationem maximam, quam principalem vocant, petiturus. In statione diu obversabar, spatiabar huc et illuc admirans viam ferratam (Eisenbahn), tractūs (Züge) magnamque multitudinem viatorum, functionariorum aliorumque hominum properantium, neque satiari poteram mirabundus intuendo omnia.

Tum de improvise homo quidam vulgari adspectu, tunicam indūtus generis eius, quod induti sunt illi viri sarcinas viatorum portantes, comiter me allocutus est interrogans, unde venissem, quid in statione agerem quidve aliud videre cuperem. Innocens, inexpertus puer, qui eram, nihil mali, nihil periculi metuens, laetus respondi me ab oppido Curia oriundum Turicum venisse ferias acturum. Tum ille: "Bene facis", inquit, "mi puer, et gratulor tibi, quod tam curiosus es novaeque res videndi cupidus. Nonne plura videre velles in statione, quae visu digna sint? Non dubito, quin valde tibi placeant." Ego nihil cunctans, fiduciae plenus: "Non nolo", inquam, "si tu me ad omnia inspicienda duces." Et ille: "Sequere me!"

Tum ad portulam ferream quandam me duxit, quae hodie iam non exstat, aedificio postea

commutato (Nisi fallor, nunc ibi propter est mensa argentaria (Wechselstube)). Portulam aperuit ferrugine gementem meque iubet sequi. Scalae ferratae, valde praecipites cochleae formā deorsum conducebant in imas tenebras. Homo ille ante me descendebat et ego sequebar aliquot gradūs. Tum subito loca tenebrosa cernens pavore captus, sive deus custos sive genius meus me admonuit, circumegi me et fugi in altum velut caprea leonem fugiens. Domum cucurri metu magno actus tremensque. Domi autem nihil de ea re narraui timens, ne amita mea iterum me foras ire non sineret. Nihil ultra. Res acta est neque quicquam manet nisi recordatio rei obscurae deoque adiutore superatae.

Hic narrandi finem facere aequum est, attamen confiteri mihi liceat rem adhuc, sexaginta annis post, oblivione mihi obrutam non esse, sed animo volvi interdum inexplicitam. Quae nam res fuit? Quidnam in animo habuit tenuis ille homo? Quid cum puero octo annos nato? Namque si, puta, adulescens tum fuissem, quid voluisset, imaginari possum, sed cum puello quid voluerit, imaginatio me deficit. Nunc autem, amici, rebus obscuris foedisque vos dimittere me taedet. Itaque aliud narraturus sum, quod auditu iucundius vobis sit:

Sobrinus meus, frater sobrinae scilicet, iuvenis erat sedecim annos natus, virium electricarum peritissimus. Anno p. Chr. natum MCMXXIII, i.e. anno, quo tum eram, machina radiatilis (Radioapparat) vulgo adhuc erat ignota. Paucissimi modo novissimae scientiae studebant unusque ex illis sobrinus meus erat nomine Eduardus. Ego numquam ne verbum quidem de illa re audiveram.

Aliquando cum in conclave (Stube) sedebam librum quendam imaginibus distinctum intuens, Eduardus intravit subridens et rem aliquam manu tenens, quas postea conchas auditorias (Kopfhörer) fuisse cognovi; accessit ad me mihique conchas auribus affixit. Quantopere obstupui musicam lenem audiens! Quod miraculum! "Quid est hoc instrumentum?", interrogavi, "Quomodo fit, ut musicam audiam? Unde haec musica??" Sobrinus mea admiratione magis magisque delectatus: "Arca", inquit, "radiatilis est. Musica a loco longinquo venit per aërem sine filo allata." Egoque: "Quid dicis? Insanire videris. Musica per aërem? Sino filo? Nugas! Ludibrio me habes." Et ille: "Est plane, ut dico, mi puer. Nova et mirabilis res est, vix quae mente capi possit. Itane?" - "Nihil intellego, Eduarde, sed dulcem audio musicam. Dic mihi, quaeso, quomodo fiat!" - "Nemo intellegit nisi physici, qui undas in aëre esse evicerunt factis. Quin etiam plenum esse aërem undarum demonstrant." - "Quid de undis fabularis? Musica, musica, dic mihi, unde veniat!" - "Musica undis portatur per aërem portaturque per muros et parietes, ita ut tu nunc audire possis." - "Bene dicis, sed cur, scire velim, adhuc numquam audivi?" - "Nemo umquam antea audivit usque ad tempora nostra. Per multa milia annorum homines de undis electricis sciebant nihil neque scire poterant quicquam." - "Cur autem hodie sciunt?" - "Quod scientiae naturalis physici peritissimi facti sunt. Doctrina de rerum naturā progressūs fecit immensos." - "Sed quid arca ista ad musicam?" - "Haec est arca radiatilis, quae eo modo est constructa, ut undas electricas musicam

apportantes tantopere amplificet, ut auribus nostris accipi possint. Etenim sine ista arcā aures hominum multo sunt debiliores quam ut undas electricas sonosque a longinquo loco advenientes sentire possint." - "Incredibilem rem dicis, Eduarde." - "Rem dico ingeniose et mirabiliter a physicis excogitatam." - "Pro Iuppiter! Nonne mentiris, Eduarde?" - "Non mentior, mi puer." - "Tuque unde tibi procurasti hanc mirabilem arcam?" - "Egomet ipse construxi." - "Tunc es phycicus?" - "Minime. Sed sum virium electricarum quodammodo peritus, ita ut e legendo libro artem arcae construendae docente satis didicerim." - "Admirandus es, Eduarde!" - "Admirandus non ego, namque nihil aliud confeci quam quod liber me docuit. Diligenter legenti arcam radiatilem construere facile est. Multo autem difficilius fuit opus physicorum, utpote qui rem novam, numquam antea auditam invenerint. Atqui non uno die res inventa est. Multi erant praecursores ingeniosissimi, quippe qui elementa plurima ad cognoscendam naturam virium electricarum contulerint. Nostro autem tempore eo iam advenimus, scientiā et doctrinā provec-tā, ut vita nostra quasi nova exorta sit. Inter paucos annos fortasse non modo sonos musicae e terris remotis advenientes audiemus, sed etiam videbimus, domi sedentes, quid homines in America eodem puncto temporis agant quidve loquantur. Mundus, dico tibi, profunde mutatus est et in annos magis mutabitur. Sed utrum bene aut male res nova nobis eventura sit, quis dicat? Goethe vel Schiller, puta, summi illi poetae, si hodie e mortuis resuscitarentur, terram vitamque hominum tam alienam a se cer-nerent, ut ne vocem quidem possent balbutiendo edere, nedum carmen."

Laetus simulque maestus quodammodo verba recordor, quae fecit olim Eduardus sobrinus, et praesagii facultate quadam praeditum eum fuisse dicam.

Dr. Emanuel Bernard

Marratiuncula brevis

Berolini umquam canes dou convenere, quorum alter ex orientali illius urbis parte in occidentalem confugerat. Quaerenti alteri, num fame vexatus esset antea, respondit: "Satis mihi erat cibi semper." - "Nonne igitur dominus te verberabat?" - "Numquam ita egit ille!" - "Ergo inclususne vivebas?" - "Liber silvas et campos percurreram." - "Cur, hercule, tum patriam reliquisti?" - "Eheu, quod etiam latrare volo!"

Martinus Meier



Praestat corporis valetudinem praedicari
quam pericula morbi ostendi

Haud negat quisquam homines, iuvenes non alio modo ac adulescentes vel senes, educandos esse, ut cognoscant, qualia et quanta sint pericula quae subimus in consumendis rebus obnoxios reddentibus (1). Ut multiplicabantur in Europae terris multis educationis huiusmodi studia, ita tamen nihil eius exstat nisi parvula quaedam fragmenta, si respicias formam, argumenta exstructionemque, nec ea magni aestimantur inter ceteras disciplinas.

Quarum periti rerum viri de supra dictis disputaverunt convocati ab Unione Universali Valetudini Augendae (WHO). Quinquaginta probata sunt vel proposita, quo modo educandi sint ad valetudinem pueri, referentia vel proiecta, quibus elaboratum erat, quae de causa iuvenes temeto ac venenis praestigiis fallentibus (2) abuterentur. Sed quot capita, tot sententiae! Consensus variarum sententiarum nequaquam inveniri potuit. Plerumque quidem modis antiquissimis ac nostro saeculo longe ineptissimis laboratur:

Parentes et magistri semper de noxiis modo monere solent eventibus, qui accedant subito, cum primum temetum vel res obnoxios facientes (1) sint consumpta. Sin ita egeris, morbum solum patefacies neque multum aberit, quin tyrannus iudicaris. Praestat

itaque valetudinem demonstrari. Vix multum curat puer quindecim annorum zirrrosin hepaticam (3) vel carcinōma pulmonum (4), at eo magis et libentius rebus obnoxios reddentibus carebit, si dixeris abstinentem plus corpore efficere posse quam ceteros, id est, ut exemplo utar, pilam melius pedibus tractare.

Egrediatur haec ad valetudinem pertinens educatio a partibus pluribus, cum a scholatum a familia et ab ea, quam humanam vocamus societatem (velut a commentariis pericula rerum obnoxios facientium demonstrantibus). His omnibus pueris puellisque ostendendum est, quantae significationi sit vita vere sana.

Eo ducendi sunt pueri et iuvenes, ut sua sponte prudenter de valetudine corporum ipsi decernant. Quo modestius se gerunt magistri parentesque in utendo rebus obnoxios reddentibus, eo facilius pueri incitantur ad vitam salubriter gerendam.

- | | |
|----------------------------|----------------|
| (1) res obnoxios reddentes | Suchtmittel |
| res obnoxios facientes | |
| (2) venenum praestigiis | Rauschgift |
| fallens | |
| (3) zirrrosis hepatica | Leberzirrhose |
| (4) carcinōma pulmonum | Lungenkarzinom |

Iosephus Egger

SVBNOTO RVMOREM VARIVM
(ich abonniere RVMOR VARIVS)

SVBNOTO RVMOREM VARIVM
DONO DATVM ALICVI
Factura subnotationis mittenda est ad adressam infra stantem.
(ich abonniere RVMOR VARIVS mit Rechnung an:)

Datum und Unterschrift:

für



RVMOR VARIVS
Postfach 883

CH-8050 Zürich

HIC SOLVTIONEM INSCRIBE
ET CHARTAM MITTE !

DOMICILIVM MEVM :



RVMOR VARIVS
Postfach 883

CH-8050 Zürich


AZ

8050 Zürich

7+8/81

KALENDIS AVGVSTIS

MCMLXXXI



RVMOR VARIVS



itaque valetudinem demonstrari. Vix multum curat puer quindecim annorum zirrrosin hepaticam (3) vel carcinōma pulmonum (4), at eo magis et libentius rebus obnoxios reddentibus carebit, si dixeris abstinentem plus corpore efficere posse quam ceteros, id est, ut exemplo utar, pilam melius pedibus tractare.

Egrediatur haec ad valetudinem pertinens educatio a partibus pluribus, cum a schola tum a familia et ab ea, quam humanam vocamus societatem (velut a commentariis pericula rerum obnoxios facientium demonstrantibus). His omnibus pueris puellisque ostendendum est, quanta significationi sit vita vere sana.

Eo ducendi sunt pueri et iuvenes, ut sua sponte prudenter de valetudine corporum ipsi decernant. Quo modestius se gerunt magistris parentisque in utendo rebus obnoxios reddentibus, eo facilius pueri incitantur ad vitam salubriter gerendam.

- | | |
|------------------------------------------------------|----------------|
| (1) res obnoxios reddentes
res obnoxios facientes | Suchtmittel |
| (2) venenum praestigiis
fallens | Rauschgift |
| (3) zirrrosin hepatica | Leberzirrrose |
| (4) carcinōma pulmonum | Lungenkarzinom |

Iosephus Egger